



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SACRAMENTO|| POENITENTIAE.|| QVATVOR LIBRIS COM-||REHNSA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XVIII. Diluitur prima obiectio Martini Kemnitij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54092)

vulneribus applicari, quæ Deus pro temporum varietate instituit. Alioqui si simpliciter gemitus quicumque sufficeret salutem, non solum Confessio, sed etiam Baptismus necessarius non esset: addo etiam, sine fide, spe, & charitate homines iustificandos; quis enim prohibet, quo minus ob solum temporale damnum aliquis ingemiscat? Quemadmodum igitur in eo gemitu, cui salus à Deo promittitur, includitur fides, spes, charitas, peccati detestatio, & propositum vitæ melioris, ita etiam Baptismi aut Confessionis votum ac propositum continetur: & sicut non addit ad verba Domini, sed illa congruenter exponit, qui ad iustificationem præter gemitum, fidem, spem, charitatem, & alia quæ diximus, exigit; sic etiam non addit, sed exponit, qui præter gemitum, votum Baptismi aut Confessionis requirit.

CAPVT XVIII.

Diluitur I. obiectio Martini Kemnitij.

MARTINVS Kemnitius in 2. part. Exam. pag. 976 & sequentibus, multa argumenta contra necessitatem Confessionis adducit, quæ cum ex Calvinianis Institutionibus ferè deprompta sint, dissoluta videri possunt. Percurram nihilominus omnia, ut vel ea solvam, vel iam soluta esse ostendam.

PRIMA obiectio habetur pag. 986. vbi hoc argumentum Kemnitius facit: *Non aliter Christus Apostolos misit, quam ipse missus fuerat. Ioan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. At ipse ad generalem confessionem, vel ore, vel signis aliis expressam; Absolutionem imperiebat, neq; singulorum peccatorum enumerationem exigebat, ut patet Luca 7. de peccatrice, & Matth. 9. de Paralytico: non igitur debent Ministri à penitentibus exigere singulorum peccatorum enumerationem.*

RESPONDEO, verba illa: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, non ita accipienda esse, quasi eodem modo debuerint Apostoli omnia facere, quo à Christo ipso fiebant: alioquin non debuissent, Actor. 2. Apostoli baptizare in remissionem peccatorum, quia Christus sine Baptismo peccata remisit

fit Magdalena, & Paralytico: nec debuissent Actor. 8. per impositionem manuum Spiritum sanctum dare, quia Christus non manus imponendo, sed insufflando Spiritum sanctum dedit. Ioan. 20.

IGITUR misit Christus Apostolos, sicut ipse missus fuerat à Patre; quia potestatem eis dedit ligandi & soluendi, ut ipse à Patre acceperat: quæ est Chrysostomi expositio. Sed tamen accepit ipse ut Filius, & proinde talem, ac tantam, ut posset etiam sine Sacramentis iustificare: dedit autem eam Apostolis, ut ministris, ac seruis, ac per hoc longè minorem, & Sacramentis, aliisque mediis à se institutis alligatam.

MISIT ETIAM Christus Apostolos, ut ipse à Patre missus fuerat, quia ad id eos misit, ad quod ipse fuerat missus, videlicet ad reconciliandos homines Deo, ad Euangelium prædicandum, ad Ecclesiam propagandam: quæ est expositio Cyrilli.

DENIQUE misit Christus Apostolos, ut ipse à Patre missus fuerat, quia misit eos, non ad delicias, sed ad crucem, licet vehementer amaret: quemadmodum ipse à Patre infinito amore diligebatur, & tamen ad passionem, & mortem, non ad mundi gaudia mittebatur: quæ est explicatio sancti Gregorij, Homil. 26. in Euangelia.

CAPVT XIX.

Diluitur II. obiectio Kemnitij.

SECUNDA obiectio Kemnitij habetur pag. 1007. usque ad pag. 1014. vbi argumentum ducit ex historia Nectarij, cuius hæc est summa: *Confessio publica abrogata fuit, & mutata in priuatam ab Episcopo, tempore Decij Imperatoris, & postea, Confessio autem priuata abrogata fuit tempore Nectarij: igitur nec publica, nec priuata Confessio necessaria est Iure diuino; neque enim sancti illi Patres Ius diuinum tollere ausi fuissent.*

Confirmat etiam hoc argumentum Kemnitius ex historia Socratis, lib. 5. cap. 19. vbi legimus mulierem quandam confessam esse Presbytero pœnitentiario *κατὰ μέρους*, id est, ex parte: ex quo sequitur, non fuisse tunc necessarium, confiteri omnia

omnia